

D. D.

# METEORA THEOLOGIÆ NATURALIS,

FASCICULUS PRIMUS,

QUEM

Consentiente Ampliss. Facult. Phil. in Reg. Acad. Aboënsi,

Publice ventilandum sistit

HENRICUS H.  
ALANUS,

RESPONDENTE

SAMUELE MÖLLER,  
*AUSTRO FEN.*

In Audit. Maj. Die XXVI. Febr. Anni MDCCCLXVI.

Horis Ante Meridiem Consvetis.

---

ABOÆ impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL,

И М А Г И С Т Р А  
И М П О В Е Д И  
И С Т Я Н К И

\*\*\*      \*\*\*      \*\*\*

*Versatur enim magnus error, propter insidiosas  
non nullorum simulationes.*

CICERO.



A. Ω.

## PRÆFATIO.

**E**a est vis intellectus humani, ut judicia formaturus, ideas nectat, quæ naturæ rerum, quoad fieri potest, respondent. Splendens hæc est & indubia veritas, quæ ex conditione ejus *a)* atque sine *b)*, tum ex summa profunditate intellectus Divini, cuius in homine radii lucescunt *c)*, justa ducitur ratiociniorum sequela. Hinc fluit ille, quem omnes homini tribuunt, amor & studium veritatis. Atque hic est præcipuum adquirendæ felicitatis adminiculum. Hunc si exemeris,

A

meris,

---

*a)* WALLERII Psycologia rationalis Cap. II. §. 65. col. cum §. 61.    *b)* CARPOVII Elem. Theol. Nat. Part. II, Cap. II. §. 996, 997.    *c)* CARPOV. I. c. §. 1006.

meris, exigua erit, quæ hominem brutaque intercedit differentia. Ast, quamvis supra brutorum conditionem hominem efferat hæc facultas, tamen & id dolendum, tam sinistre illam haud raro exerceri, ut plerique in veritate investiganda versantes, cæcutientibus res intueantur oculis fabulisque occupentur, plane ut solent, qui præclusi sunt spectaculo. Neque hoc mirum; donorum enim summorum quis necit facilem etiam esse abusum? Num vero novercantis naturæ hæc sunt indicia? Annon potius, salvis reliquis perfectionibus, aliter id efficere sapientiæ Divinæ contrariatur, cum ideæ creatoræ rationalis repugnet, ad unum oppositorum cum fatali necessitate determinari d). Ast multum remota quibusdam for-

d) Limitatam hominis naturam non sufficit pro causa errorum allegasse. Eo enim hoc reddit, ac si quis ita rationes subduceret: Si homo essentia non gauderet hominis, in ratiocinando non laberetur. Dicam quod res est: *Causa* est id, unde intelligitur cur aliquid existat. *Ratio* autem unde cognoscitur cur quid sit possibile. Limitatio ergo pro *causa* errorum nequit haberi. Remotissima tantum errorum possiblitas hinc deducitur. Ex intellectu dependet proxima possiblitas errandi. Nimirum, possibile proximum, quod etiam existibile vocant, (WALLERII Synt. Met. Cap. III. §. 163. pag. 191.) dicitur id, ad cuius existentiam prestandam sufficientes adsunt vires; atqui in intellectu ejusmodi adesse vires, vel potius virium defectus, per quos oriri possunt errores, loquitur experientia. Ergo. Ex sola vero possibilitate proxima vel existibilitate nondum intelligitur, an aliquid actu existat; posita namque virium sufficientia, quæ ad existibile requiritur, nondum ponitur earum applicatio ad ef-

forte videtur hæc errorum ratio; consideret ergo, qui horum fontes proprius cupit eruere, facultates illas, quibus animam ornavit naturæ Parens, ac statim videbit latere errores, qua *possibilitatem* in intellectu, dum vero oriri, cum illum pravæ voluntatis *affectiones* & turbulenti animi motus a ferendo de rebus recto judicio detrahunt e). Cumque hi in singularis subjectis varient, diversa hinc prodit errorum forma. Interdum enim sunt manifesti, suaque se produnt absurditate; haud raro autem pallio veritatis tanta arte sunt involuti, ut savitatem sermonis & simulata veri specie, incautos animos in devia facile præcipites agere queant.

*Meteora Philosophica* hujusmodi veritatum monstrans est vocare; sicut enim cœli meteora (loquor illa, quæ *emphatica* dicuntur f) præter speciem quam

A 2

refe-

---

sectum præstandum, sine qua permanebit existibile. Errorum ergo actualitas aliunde, quam ex intellectu erit repetenda. Præter intellectum vero & voluntatem, alias non admittunt Eruditæ facultates animi primarias. Non ex intellectu dependet actualitas errorum. Ergo existentia errorum voluntati debet originem. Ita nos rem concipimus. Digna sane est, quæ ulteriori indagine perlustretur. Nobis illam altius timari per instituti limites non licet.

e) Non eadem hac de re fuit eruditorum sententia; quidam enim errorum caussam ad intellectum unice retulerunt. Atii in alterum prolapsi extremum, voluntati totam rem adscribunt. Qua de re ulterius conferatur WALCHII Lexic. Phil. Art. Vorurtheilen pag. 2799. f) Cfr. WALCHII *Introductio in Phil. Lib. II. C. III. §. 39.* pag. 259.

referunt vel nihil continent, vel naturam fortiuntur  
plane diversam, sic illa veritatum radiant similitudi-  
ne, ast:

*Corda falsis atque vanis imbuunt*

*Tantumque linguas instruunt g).*

Lætum scientiarum progressum quantum impediunt  
hujusmodi Meteora dici vix potest. Formam enim  
dum mentiuntur veritatum, facilem impetrant assen-  
sum; eorum præcipue, qui fœcundæ imaginationi  
plus quam rationi servire assiverunt. Probata aliis  
connectuntur veritatibus, naturamque induunt ra-  
tiociniorum. Sic paulatim serpit venenum, donec  
occulta vis in apertam erumpit flammam. Talia e-  
nim ratiocinia instar principiorum demonstrandi ad-  
hibita, mira tandem lascivientis ingenii somnia pro-  
trudunt.

Sistit præsens Opella nonnulla Theologiæ Naturæ  
lis Meteora. Si enim in ulla Scientia, certe in illa  
maxima eorum deprehenditur seges; quippe quæ, a-  
gens de Ente ultra quod ascendere nequit ingenii no-  
stri curiositas, apicem constituit cognitionis humanæ.  
Facile igitur sub obtentu veritatis in errores præcipi-  
ti lapsu ruere queunt mortales. Valet hoc inprimis  
de iis, quorum oculos non illustravit splendidus reli-  
gionis fulgor, gentiles puta Philosophos, quibus Do-  
ctrinam de Ente primo ac perfectissimo curæ cordi-  
que fuisse novimus. Hi enim splendida haud raro  
de

de Deo jactarunt verba, quæ tamen impiæ potius scenæ, quam veritati serviebant. Cumque illa haud raro horum fuerit vis, ut non paucos Christianæ fidei viros, adolescentे adhuc Ecclesia, in assensum allexerint *b)*, operæ prætium judicavimus, quoad id fieri potest, Meteora in horum scriptis obvia investigare. Caussas variorum errorum, qui in Ecclesia existiterunt, hoc ipso innotescere suspicamur. Quod, quantum ad ferat utilitatem, nemo non videt *i).*

A 3

Dein,

*b)* Egregie in hanc rem vastæ eruditionis Vir JO. LAUR. MOSHEMIUS Commentario De turbata per recentiores Platonicos Ecclesia §. 5. pag. 7. *Utinam semper ita id fecissent Philosophi Christiani, (nim. repudiassent ea, quæ Christi repugnarent præceptis) quemadmodum decebat, nec externa, quadam dogmatum & institutorum similitudine, decepti fuissent, ut pro Christianis haberent, quæ ad speciem tantum Christiana videbantur.* Sed obstitit illis, partim amor Philosophia, partim imperitia & ingenii imbecillitas, ne cuncta rite expenderent; ex quo evanuit, ut in Christianam multa transferrent Philosophiam, quæ toto genere a Christiana disciplina disident. In doctrina morum Stoicos potissimum probabant, quod Pantani, Clementis & aliorum exemplis constat -- *In dialecticis Aristotelem ceteris præferebant -- De Deo, de geniis, de Anima neminem arbitrabantur melius Platone præcepisse -- Atque hoc erga Platonem studium tantum apud eos poterat, ut non modo ejus lectionem suis in primis commendarent, verum etiam in disputationibus cum doctrina Christiana adversariis, ejus sese auctoritate regerent, nec contendere vererentur veteres Platonicos, ut Augustini verbis utar, si hanc vitam rursus agere possent, paucis mutatis verbis ac sententiis, ad Christianam religionem accessuros esse.*

*i)* Cfr. MOSHEMIUM I, c. pag. 4. §. I.

Dein, quid in hac materia recentioribus visum fuerit considerabimus.

Quod reliquum est, nostra facimus ista CENTNERI: Rogo ut si quid in his lucubrationibus duriusculè dictum in aliquem fuerit, quod certe nolim, aut plane aberratum, id in meliorem partem interpretetur Lector talemque me putet Meteoroscopum, qui quo longius distat a cacuminibus Heliconis, eo radicibus ejus propior, multa non videat, quæ aliis sunt perspicua. At tu, qui nimium dicax es censor, apage ne per te luminibus officiatur.

### §. I.

Priusquam tractationem rei adgredimur, in originem atque notionem *Meteori Philosophici* uberius inquirendum. Descendit vox a Græca voce *ιάρα*, quod ab *αιωνεσ*, designat *vas pensile suspensum*. Hinc *μετεώρος*, *sublimis*, *editus*, *suspensus* k). Hanc ob rem voce *μετεώρα* usi sunt rerum naturalium scrutatores, ad designanda phœnomena, quæ in aëre conspicuntur, & quorum dubiam tantum habemus cognitionem. Recentiores ampliorem vocis induxerunt significatum, omnes mutationes a natura in aëre factas *ιτα* significantes l), quæque vel *vere* sunt vel *apparentes*. Illæ innuunt omnia vera & qua indolem rite cognita phœnomena superius conspicua. Haec designant illos eventus in sublimi positos, quos *dubia cognitio-*

A) WALCHII Lex. Phil. Art. Meteors. pag. 1796. 1)  
WALCHII Introd. in Phil. Lib. II. Cap. III. pag. 259. 1)

*gnitionis* vocavit ARISTOTELES m). Jam ob quan-  
dam rei cum posteriori hoc significatu similitudinem,  
facta sunt *Meteora orationis*, quæ primum idem quod  
*ὑψηλα*, *res in oratione sublimes* denotabant n). Ni-  
mum autem invalecente illo Rhetorum more, ora-  
tionibus quavis data occasione Cœli meteora inseren-  
di, illud inter *ὑψηλα* & *meteora* statutum est distri-  
men, ut *hec*, teste VERENFELSI O) designarent di-  
cta in speciem sublimia; re autem vera inania atque vi-  
tiosa p).

## §. II.

---

m) VOGELII Cyclop. Phys. p. 66. n. 1. a Cel. CENT-  
NERO citat. n) WERENFELSII Dissert. de Meteoris O-  
rationis p. 271. §. 1. qui Longino Rhetori, hanc distinctionem  
acceptam refert. Qui pleniorē desiderat hujus rei cognitio-  
nem, adeat CENTNERI Comment. de Meteora Philosophico,  
eius præclara hac in re fuit opera. Nos horum vestigia  
secuti, licet interdum, pro ratione instituti leviter deflecten-  
tes, ea tantum adferimus, quæ propius ad nostrum perti-  
nent institutum. o) Loc. cit.

p) Non abs te erit, quædam hujus generis adferre mea-  
teora. Sic pro meteoro *Orationis* habenda sunt illa CLAU-  
DIANI (Lib. de raptu Proserpinæ)

*Infernī raptoris equos, afflataque curru  
Sidera Tanario, caligantesque profunda  
Junonis thalamos audaci promere cantu  
Mens congesta jubet.*

De quibus ita WERENFELSIUS, Lib. c. p. 307. *Ambitio* e  
illa epitheta: *Raptor infernus, currus Tanarius, thalami cali-  
gantes, Juno profunda, cantus audax & mens congesta, plus so-  
nant, quam significant.* Quomodo interpretabimur ista: mens

## §. II.

Duo in quavis oratione observanda esse docent Rhetorum filii. *Dicta nimis. & enunciationes quibus constat oratio, tum ideæ atque res quæ harum ope efferuntur, quæque vario modo connexæ, propositiones sententiasque constituunt philosophicas.* In utroque vitiosa apparere potest sublimitas. Atque hinc nova resultat meteori divisio in illa, quæ verbis seu enunciationibus atque forma loquendi sublitatem mentiuntur, & proprie meteora orationis dici queunt; vel etiam, quæ in ideis & propositionibus eorumque inter se comparatione, vitiosam continent sublimitatem; quæque *Meteora Philosophica* haud incommode vocantur. Ut vero horum natura atque diversitas facilius innotescat, quid in *Philosophia Sublime* vocetur, paucis enucleandum.

No-

---

*congesta jubet promere cantu equos & siuera curru efflata? Manu laudem, Poëta nobis cecinisset, infandum Plutonis facinus, crudelis herrendi raptoris manus, durissima brackia, que Jovis siliam, unicum Cereris delicium, Deam perpetua luce dignam corripuerunt. - Nihil horum in isto Claudiani exordio videamus. Eadem ratione pro Meteoro Orationis habenda sunt variæ enunciationes. e. g. Cum de illis, qui conviviis intersunt, dicitur, quod Bacchi munera hauriant Cereremque consumant; Sagittæ vocantur penatæ mortes, vultures sepulcra animata. Plane vero ridicula est illa Sedulii paraphrasis, qua Cantorem in Ecclesia indigitat: quod decacordo Psalterio inter beati dogmatis chorus, Davidice modulationis cantus exerget. Plura hujusmodi Meteora legi possunt apud WERENFELSIUM, Dissert. cit. qui ex Atheneo Lib. III. p. m. 98. 99. aliisque auctoriis multam illorum congregavit nubem.*

Norunt omnes eam esse indolem notionum philosophicarum, ut in earum repræsentatione, continua serie a simplicibus & menti quasi innatis ascendamus ad superiores & ex his compositas. Harum diversa combinatione novas elicimus ideas, priorum cognitionem necessario supponentes; atque hac insistimus via, quoisque tulerit finitæ mentis conditio. Per gradus itaque a simplicissimis cognitionis nostræ principiis, ducimur ad altiora, quæ ut rite intelligantur, horum cognitionem prærequirunt. Atque hinc liquet, quid in Philosophia *sublime* denotet. Quo enim plures requiruntur ideæ subnexæ ad aliquam notionem explicandam, eo magis illa est a cognitione remota eoque sublimior. Hinc *sublime* in Philosophia vocamus illas propositiones, quæ nisi cognitionis ordine aliis compluribus, intelligi nequeunt. Unde simul appareat, duobus potissimum modis propositiones dici posse sublimes. Sunt enim *qua materiam sublimes*, si plures supponunt ideas inferiores, seu *principia cognoscendi*, ut prædicati ad subiectum relatio intelligatur; vel etiam, *qua modum demonstrandi*, formam voces, si plurimis egent *principiis demonstrandi*, ut certitudo relationis inter prædicatum & subiectum cognoscatur q). Illæ ergo *sublimitas* inest ipsis

B

pro-

q) Licet principia cognoscendi etiam sint principia demonstrandi, attamen per omnia hæc duo non reciprocantur. Enim vero multa sunt demonstrandi principia, (WOLFI Phil. Rat. Part. II. Sect. I. Cap. II. §. 562.) quæ cognitionem objecti non conferunt, sed illam supponunt. Immo cum differentia sit inter cognitionem subiecti nudam, & certitu-

propositionibus; hæc illis infertur per demonstracionem.

§. III.

Meteora Philosophica definitus propositiones, quæ sublimitatis philosophicæ speciem referunt, in recessu autem subtile continent vitium r). Cumque propositiones sublimes sint, vel in respectu ad principia cognoscendi, vel etiam intuitu principiorum demonstrandi; palam est, meteora philosophica dupli modo sublimitatem mentiri, nam vel qua materiam, si falsa superstructa sunt principiis cognoscendi; vel qua formam, si erroneis inædificantur principiis demonstrandi, seu si demonstratio sublimem scientiam mentitur; quod tripli modo fieri, docet CENTNERUS s). Scilicet:

Me-

---

dinem cognitionis, palam est, principia cognoscendi duobus respectu posse considerari; Namir, vel quatenus adferunt nudam objecti cognitionem, & principia cognoscendi pura vocari queunt, vel quatenus forma demonstrationis induita, certitudinem cognitionis adstruunt & principia demonstrandi dicuntur. Hæc ideo observanda sunt, quod ad distinctam meteororum philosophicorum differentiam, in sequentibus exhibendam, plurimum conferant.

r) Definit Cel. CENTNERUS Lib. c. §. 37. p. 40. Meteorum Philosophicum per propositionem cuius demonstratio sublimem scientiam mentitur. Cum vero per illam definitionem restringatur sublime philosophicum ad solas demonstrationes, quod tamen latius se extendere §. II. evicimus; satius doxiimus aliam huic substituere, ex qua facile deduci queunt cuiuscunque generis meteora.

s) L. c. Cap. III. §. 38. pag. 42.

Meteorum Philosophicum aut scientiam in sublimi,  
aut sublimitatem in scientia, aut utrumque mentitur.  
Illud obtinet, ubi propositio sublimis qua materiam,  
superstruitur principiis, quæ subtilli laborant vitio.  
Istud, ubi certa quidem sunt principia, sed proposi-  
tio non est in se sublimis \*). Hoc vero, ubi nec propo-  
sitione est sublimis, nec deductio demonstrationis vera.

Atque hæc sufficiant ad explanandam notionem  
& differentiam Meteori Philosophici. Ut vero faci-  
lius de illis, quæ in Theologia Nat. apparent Meteo-  
ris, ferri queat judicium, sequentes regulæ obser-  
vandæ sunt.

#### §. IV.

Propositio, quæ in se & absolute spectata vera est  
& sublimis, in falso vero adparet systemate, juxta cu-  
jus nexus explicata, alium quam præ se fert sensum  
induit, pro Meteoro Philosophico est habenda t). Ex

B 2

nexus

---

\*) Vid. §. II. t) Exemplum hujusmodi Meteoris nobis præbet libertas, a Stoicis Deo animaque vindicata (cfr. BRÜCKERI Hist. Crit. Phil. Tem. I. Part. II. Lib. II. Cap. IX. p. 931.). Licet enim radiis veritatis extra fulget eorum haec de re sententia, illam tamen plus impia scenæ, quam veritati servire perspiciet, qui nexus systematis Stoici considerat. Egregie hanc rem ex eorum mente explicat Cel. CENTNERUS Lib. cit. Cap. I. §. 22. p. 21. Cujus hæc verba: *Libere dicitur agere Deus, quia a nullo principio externo cogitur, sed agit propter se?* (Quod vero hoc recte infertur, patet ex verbis Senecæ, quæ in hanc rem adfert BRÜCKE-  
RUS, l. c.; nec Deus ob hoc minus liber est, ipse enim ne-

nexus enim antecedentium cum consequentibus, mentem Auctoris interpretari jubent Hermeneutarum regulæ; adeoque nexus systematis pro principio cognoscendæ propositionis sumi potest. Ast proposi-  
tio, falsis superstructa principiis cognoscendi, est Meteorum Philosophicum (§. III.); idem ergo censendum de propositione, quæ in tali adparet Systemate, ut juxta ejus nexus alium induat sensum, quam primo intuitu habere videtur u).

## §. V.

Ex illis quæ §. III. ex CENTNERO adduximus, sequentes etjam eliciuntur regulæ: Meteorum Philosophicum producit, 1) qui principia prima demonstrare conatur, quippe quæ non sunt in se sublimia, & tamen per demonstrationem in numerum sublimium pro-

---

cessitas sua.) Propter se vero agit, quando pro natura totius agit. Quæ pro natura totius eveniunt, dependent a fato. Quæ ex fato sunt, non possunt non ita fieri, h. e. necessario sunt.

u) Expressam hujusmodi Meteori mentionem non facit Cel. CENTNERIUS, quippe qui ad sola principia demonstrandi sua refert Meteora. Cum vero multa existent veterum Philosophorum effata, non exigua veritatis specie fulgentia, mera tamen sunt Meteora Philosophica, quæ ad Meteororum species a CENTNERO allatas, commode referri nequeunt; nos consultum duximus principia cognoscendi seorsim a principiis demonstrandi considerare. Ad illa refertur ea Meteori species, quam modo attulimus §. III. ad hæc vero pertinent omnia, quæ a CENTNERO in medium ponuntur Meteora Philosophica.

propositionum transferuntur. 2) Qui in forma demonstrationis ex principiis evidentibus quidem thesin deducit, subinde tamen, vel in convertendis propositionibus, sive de industria sive imprudens fallit, vel denique sophismate utitur. 3) Idem etiam de illis habendum, qui vel notionibus abundantibus, vel contra incompletis utuntur, vel notiones adhibent deceptrices, vel denique ratiocinia sua ingredi patiuntur terminos vagos, impropios & inanes, vel vitium subreptionis committunt, & sic porro w).

## §. VI.

Ex his patet, quodnam inter errores & Meteora Philosophica intercedat discrimen. Est namque error assensus propositioni falsæ datus; adeoque latius se extendit, cum e contrario Meteora Philosophica, sub specie tantum veritatis fallunt. Illi etiam facilius se produnt, & sic haud difficulter evitantur, hæc magis latent, & simulata veri specie multis illudunt. Quæ cum ita sint, nihil utique decedit veritati dogmatum, etiam summorum, licet detegantur Meteora ab illis jactata, qui in his tractandis versati fuerunt. Haud raro enim evenit, ut conceptus nobis formemus diversos a rebus repræsentatis, qui utut fulgeant veritatis specie, hac tamen salva & possunt & debent repudiari. Id namque eo intenditur, ut

B 3

---

w) Qui horum exempla desiderat, audeat Auctorem saepius nominatum, qui toto Cap. III, multam eorum collegit sublem.

injustis adversariis elabendi via præcludatur, qui si-  
mulac unicam assertionem, qua adstruitur vel ex-  
plicatur thesis, exceptioni vident obnoxiam, inho-  
nestam sibi statim vindicant victoriæ gloriam. Vi-  
deant ergo, quibus negata vis vel levissimarum ar-  
gumentationum fides est in oculis, an id sit statue-  
re ex rerum meritis, nihil sine ratione, omnia ex  
caritate. Cautelæ usus patebit in sequentibus.

## §. VII.

His adumbratis facilior nobis ad ipsum institu-  
tum patebit aditus. Cumque haud exigua sit fama  
Theologiæ, quæ prisca ætate in orientali mundi  
plaga vigebat; haud incongruum foret, præcepta  
*Theologie Naturalis*, qualia antiquissimis extiterunt  
temporibus, indagare. Neque pauca in illis obve-  
nire simulacula veritatum arbitramur. Quoad enim  
antiquorum relationibus in re ambigua stare licet,  
plerique eorum, qui inter gentiles extra vulgum  
sapuisse feruntur, existentiam & varia unius Dei  
attributa diserte docuerunt, modo fucus abesset ver-  
bis. Sic de vetustis *Chaldæorum Philosophis* testatur  
*Diodorus Siculus* x) illos statuisse: Deum esse omni-  
um Regem & parentem cuius providentia univer-  
sorum ordo atque ornatus factus est; quæ, si vo-  
cum significati adhærendum, sobria ut nihil supra.  
*Persæ* licet multis sacra fecerint Diis y), unum ta-

men

x) Lib. I. p. 24. aliisque passim locis. y) CUD-  
WORTHI Systema Intellectuale Cap. IV. §. 16. p. 325.

men in omnibus maxime perspicuum aliisque praestantiorum Mithrae nomine adorabant z). Et licet hoc nomine solem intellexerint antiquissimi Persarum a) illos tamen, qui meliori pollebant ingenii acie b), principue vero Zoroastrem c) inter Persas doctrinæ glo.

z) BRUCKERI Hist. Crit. Phil. Tom. I. Lib. II. Cap. III. §. 10. p. 167. a) BRUCK. Loc. cit.

b) Magi dicti sunt, qui inter Persas ante Zoroastris tempora eminuerunt, qua de re Hesychius: Μάγοι τὸν Θεοτοκὸν καὶ Θεόλυτον καὶ ἡγεμόνα τῆς θεοτοκίας λέγουσι. Quorum originem variaque munera sedulo investigavit BRUCKER. I. c. C. III. §. 8. & 9. An duo hi principia universi induxerint, valde, licet res ab utraque parte incerta sit, dubitat CUDWORTHUS. Cujus rationes vid. in Ejus Lib. c. Cap. IV. §. 13. p. 247. seq.

c) Sunt, qui systematis dualistici defensorem in Zoroastre se inventire putant. In quibus eminet Cel. BAYLE. Diction. Histor. & Critique Art. Zoroaster Tom. IV. not. f. p. 2928. seq. nec defunt, qui ex altera parte longius progressi contendunt Persas a Zoroastre institutos, uni sermo Deo rerumque omnium Conditori supplicasse, & huic tamen malum quandam genium non dissimilem illi, cuius meminit sacer Codex adjunxit; inter quos Thomas Hyde Libro de Religione Persarum Cap. XX. p. 161. Prior sententia sicutneis admodum nititur principiis. Plutarcbum enim quem compellat Vir Celeb. illum vel male intellexisse vel non dextre interpretatum fuisse, patet ex luculento ejus testimonio Lib. de Isiae & Osride p. 370; Dabimus locum qui CUDWORTHUM legenti sese obtulit: Ἐπειος δὲ χρήσιος ἐμαρτυρέος εὐωνίας αἰτιών, - - αράγχη Φαρισαὶ πατερεῖσιν καὶ αφάνισθαι: Inflatore vero fastale tempus, quo necesse sit - - Arimanium omni-

gloria eminentem, Deum dixisse Patrem atque conditorem omnium rerum, abunde docet CUDWORTHUS <sup>d</sup>), adducto ex Porphyrio testimonio Eubuli, quibus haud leviora addit MOSHEMIUS <sup>e</sup>). Ut vero vetustam gentis suæ religionem hoc modo eo facilius emendaret, Numina eorum popularia ita ad suas rationes aptabat, ut eodem quo illi, summum quem loquebatur Deum nomine ornavit, atque in sole ab illis Mithræ nomine culto, imaginem Dei maximaque Divinitatis vestigia adparere afferuit. Qua de re testem habemus Maximum Tyr. <sup>f</sup>) a CUDWORTHO citatum, cuius hæc sunt verba: πέρσαι μὲν πῦρ, ἄγαλμα ἡφίεσσον, αἰκίζεσσον καὶ αἴωνιάγον. Persæ ignem colunt imaginem, quæ unum durat diem, rem voracem atque insatiabilem.

Atque

*ne perire atque aboleri.* Quod an Deum illimitatae potestatis, an vero genium arguat, inferioris fortis, judicent alii. Altera de Diis Persarum sententia injustum Hydei studium dogmata Persarum cum Divinioris Scripturæ placitis conciliandi, abunde prodit, adeoque vel hinc sublestæ redditur fidei; Medium inter has viam elegit MOSHEMIUS dum statuit Persis unum fuisse summum & æternum Deum, qui duos ex se se, nescio quo modo, produxit Deos, quorum alter res eroget & administret humano generi utiles & necessarias, alter noxiis & perniciiosis delebetur. Quam sententiam antiquorum Scriptorum testimonio demonstratam vide in *notis ad CUDWORTHUM* p. 249.

<sup>d</sup>) Lib. c. Cap. IV. §. 16. p. 225. <sup>e</sup>) In *notis ad hunc locum* p. 328. <sup>f</sup>) *Dissent.* XXXVII. p. 371.

Atque sic *Meteororum Theologie Naturalis*, quæ apud hos viguit, non ineommoda esset nostro instituto pervestigatio: præsertim cum hæud pauci, inter quos Apulejus g) aliique recentiores b) statuant ipsum Pythagoram, in itinere versus plagam mundi orientalem constitutum, Zoroastrea dogmata imbibisse, eoque fontes Philosophiæ Græcanicæ in hujus placitis delitescere sibi persuadeant. Ast dolendum, pleraque quæ de sapientia Veterum traduntur talia esse, quæ assensum cauti & providi lectoris ægre queunt extorquere. *Tam remota enim (verbis utor BRUCKERI) est gens antiquissima, a temporibus istis, quibus res humani generis in acta relata sunt, ut vel sola vetustas, monumentis unde hauriri debet notitia de Philosophia Veterum longe major, caussam incertitudinis apud providum lectorem excitare queat.* Illa etiam quæ nobis supersunt monumenta, Græcis plerumque Scriptoribus suas debent natales, qui inventato exteræ gentis odio dueti, in narrationibus suis vestigia veritatis vix potuerunt sequi. Qui etiam proximis a nativitate Salvatoris temporibus degurunt Scriptores, omnia Veterum placita in rebus ad religionem pertinentibus cum suis comparare insano nisi sunt studio, quo Christianismo undique se latius diffundenti, facilius obviam irent i). Quæ

## C

res,

g) Cfr. MORHOFII Polyhist. Tom. II. Lib. I. Cap. I. p. 8. b) In his a Cel. BRUCKERO nominatur Auctor Libri Hist. des Manicheens.

i) In his nominasse sufficiat Porphyrium, qui Libro de Antro Nymphaarum aliisque, quorum tamen maxima pars jam

res, quid ad labefactandam horum fidem faciat, nemo non videt. Arabum vero Scriptores, qui recentiori ætate gentis suæ scita pinxerunt, leviiores sunt, quam ut in eorum fide queamus acquiescere. Præsertim cum tam dubiæ sint fidei illi Scriptores, ex quibus sua retulerunt. Tam densis ergo involuti nubibus, satius ducimus non multum Theologiæ horum gentium immorari, contenti, si ex illis, quæ jam adduximus qua partem innoscere queat, quid de illorum opinionibus sit habendum.

### §. VIII.

Quod Occidentalis *Ore incolas* attinet, illorum placita aliquanto certius tenemus. Ad nostram enim ætatem pervenerunt scripta quorundam Philosophorum, aliorum vero fragmenta plurima in unum

---

deperdita, de Zoroastre tradidisse fertur. CUDWORTH, l. c. Fuit hic Scholæ Alexandrinæ addictus, cuius Sectæ præcipua in eo versabatur opera, ut ex Græcorum & Orientalium placitis mixtum quoddam sapientiæ corpus construerent. Quam rem ingenua assimilatione illustrat *Justinianus Imperator*, dum illos Musicis comparat, qui nervos vario licet sono præditos, ita temperare norunt, ut suavis & jucundus inde consentus enascatur. Cfr. Celeb. MOSHEIM, de turbata per recentiores Platonicos Ecclesia §. II. p. 5. Quod dubiam omnino hujus Sectæ reddit fidem. Quo vero in Christianos hoc fecerint animo, neminem, in historia philosophica leviter versatum, fugit. Cfr. MOSHEIMIUM Lib. nuper cit. §. 3. seq.

num collecta sistuntur. Eminet inter hujus regio-  
nis Philosophos & cetera & eruditionis fama *Pythagoro-*  
*ras.* E re itaque non erit illius de Summo Numi-  
ne opiniones, paulo attentius scrutari. Ast diffi-  
cultates etiam haud leves, in hoc negotio suborun-  
tut, quæ non sunt prætereundæ, dum modo caute  
& circumspecte in scrutinio tanti Philosophi proce-  
dere velimus. Nimir. tam sancte philosophemata  
sua servavit *Pythagoras*, ut nec illa, scripto quan-  
tum constat vulgaverit *k)* neque doctrinam tradi-  
derit, nisi genuinis discipulis, quorum fides multo-  
rum annorum molesta exercitatione atque silentio  
erat probata *l).* Hi autem cum symbolica metho-  
do a Præceptore scientiam mutuarint *m)*, nec rite  
semper ejus mentem poterant assequi, nec ob da-  
tam promissi fidem cognita audebant evulgare. Sic  
multis, post excessum Philosophi, annis, & fere  
quoad perduravit ejus Schola, nihil literis consi-  
G 2 gna-

*k)* Varie hac de re inter Eruditos disputatur. Nec de-  
sunt, qui plurima Scripta *Pythagora* tribuunt. *Laertius Lib.*  
*VIII. s. 6.* tria huic vindicat volumina, *Pedeuticum* nempe,  
*Politicum* atque *Physicum*. Ab *Heractide Serapionis filio sex*  
*illi*, teste *BRUCKERO*, assignantur Libri, nimir. *De univer-*  
*so*, *Sermonem Sacrum*, *De Anima*, *De Pietate*, *Heleothalem*, *Cro-*  
*tonam*. *Contrarium vero ex Plutarcho*, *Josepho*, *Luciano*, *Por-*  
*phyrio*, egregio argumentandi modo *Cel. BRUCKER.* probat.

*l)* De *exeuodia* Pythagoreorum aliisque ad eorum hi-  
storiam pertinentibus, vide *BAYLE Lib. cit. Tom. IV. Art.*  
*Pythagoras.* *m)* Vide sis Append. ad *WALCHII Lex.*  
*Phil.* p. 140.

gnatum. Qui itaque post hujus fata manum appulerunt ad designanda Pythagoræ memorabilia <sup>n)</sup>, nihil præter ineptas fabulas & orales traditiones haberunt, ex quo sua referrent. Quam ob rem in maximum venit discrimen, eorum, in ardua hac materia fides. Ab his sua mutuarunt, qui postmodum hanc tractarunt materiam, *Laertius*, *Porphyrius* & *Jamblicus*. Quos præter ea, quæ jam observavimus, diversum doctrinæ genus, cui nomina dererunt, sublestæ admodum reddit fidei. Fuerunt enim hi imbuti dogmatibus Scholæ Alexandrinæ, quorum testimonia incerta esse §. VII. not. i. observavimus. De cætero invidia ducti Salvatoris ejusque doctrinæ, dogmata Pythagoræ haud raro supra fortē ingenii humani extulerunt o). Nec certiora nobis hac in re tradunt scripta recentiorum ex impuris hisce hausta fontibus p). His ducti rationibus,

<sup>n)</sup> In his nominantur *Aristoxenes*, *Hermippus*, *Lysis* alii que. Inter quos tamen primi fuerunt *Lysis* atque *Archippus*, qui soli ex Schola Pythagoræ per invidiam inimicorum una cum Præceptore directa, superstites, cavebant ne cum decessu Philosophi, omnia etiam oblivioni darentur ejus dogmata.

<sup>o)</sup> Egregie hanc in rem Cel. BRUCKERUS Lib. cit. p. 993. Heic loci id quod ex re nostra est, monuisse sufficiat has ipsas Porphyrii & Jamblici vitas Pythagoræ, ex veteribus inepto studio & pessima consarcinatas fide fuisse, ut haberent userrimi impostores, quod miraculis maximis Servatoris & discipulorum ejus opponerent, & Pythagoram non minorem fuisse Christo Jesu, demonstrarent.

<sup>p)</sup> Ex nostratis peculiari Libro philosophiam Pytha-

nibus, non quidem absolute Pythagoræ vindicamus illas de Deo opiniones, quæ illi communiter tribuuntur. Id solum pro vero sumimus, illas plerisque Pythagoreorum arrisisse multosque sequioris ætatis Eruditos sub hoc obtentu, in assensum rapiuisse.

### §. IX.

Quod *Pythagoras* unum statuerit Deum, unanimi fere Eruditorum, qui ejus fecerunt mentionem, consensu est evictum. Ex recentioribus præprimis huic rei demonstrandæ invigilavit CUDWORTHUS q); licet in illis haud pauca desideraverit, qui accuratori judicii trutina rem considerare velit r). Et si fides antiquioribus habenda, qui doctrinam illius exararunt, multa Pythagoræ sunt effata, quæ unius Dei agnitionem prodere videntur. Preces, quibus Summum Nūmen interpellavit, quæque aureis ejus carminibus continentur, id satis evincunt. Sic enim illas nobis exhibet MOSHEIMIUS s):

C 3

O Ju-

---

goræ exaravit olim Cel. Upsaliensis Professor Joh. Schefferus, quem tamen integrum lucem non hausisse, ex Morhofio accipimus.

q) Lib. cit. Cap. IV. §. 20. p. 441. seq. r) Confr. MOSHEIMIUM in notis ad h. l.

s) Loc. cit. Non ignoramus, multa de hisce carminibus disputari. Nostra vero parum refert, si summa philosophia Pythagoricae intimioris vel esotericae tantum illis continetur. Pro scopo enim sufficit dogmata Pythagoræ, qualia ibi exhibentur, a plerisque huic vindicatas suisse & sub-

O Jupiter Pater, multis certe malis homines liberares,  
Si omnibus indicares, quali quisque genio utatur.

Quod vero his precibus summum indigitaverit Deum, vel inde constat, quod teste *Hierocle* <sup>1)</sup>. Jovis nomine honoraverint Pythagorei summum atque infinitum Numen, ex quo tanquam fonte prodierunt Dii inferiores, quos ad evitandam Atheismi exprobationem a superstitionis sui temporis gentilibus, admisit.

Hanc Pythagoræ sententiam, una cum aliis conexis perhibent etiam ex Patribus, qui Ecclesiastici nominantur, *Justinus Martyr*, *Clemens Alexandrinus* atque *Cyrillus*. Dabimus verba hujus; ita enim ille <sup>2)</sup>: ιδίας δε οὐφωνίας ἔναι τοι λέγεται πόν τῶν ὅλων Θεού καὶ πάντων ἔργων, ἔργαστην τοι τὰν αυτὸς δυνάμεων, Φωτῆσε καὶ ψύχωσιν ἥποι ζωοποιησιν τῶν ὅλων, καὶ κύκλων πάντων κίνησιν. Παρέκπεται δε τὰ πάντα παρὰ αυτὸς, καὶ τὴν ἐκ τῆς μηδότος

---

specie veritatis multis fucum fecisse. Incertum est, an *Philetlaus* vel *Lysis* aliasve Pythagoræ Auditor illa literis consignaverit.

<sup>1)</sup> Sic latine ejus habentur verba Comment. in *Aurea Carmina* p. 200. Solebant Pythagorei ΔΙΟΣ & ΣΗΝΟΣ nomine, universitatis conditorem & Parentem religiose insignire. Eum enim, per quem omnes existunt & vivunt, equum est a potentis nomen accipere. Et interjectis nonnullis: ΔΙΟΣ nomen symbolum quoddam & imago entis, quod omnia condidit, in ipsa voce εβ; quem ii, qui primi nomina rebus dederunt, propter summatam sapientiam, veiut statuarii quidam optimi, nominibus ipsis tanquam formis, earum facultates & qualitates indecorerint. <sup>2)</sup> Lib. I. Adv. Julianum p. 30.

ὅντος εἰς τὸ έιναι κίνησιν λαχόντα φάνεται. Quæ sic reddit  
 CUDWORTHUS: Ecce perspicue dicit, unum esse u-  
 niversi Deum, omnium principium, operatorem facul-  
 tatum, lumen, animam & vitam universi, sphaerarum-  
 que omnium motum: Nihil enim a se ipso movetur,  
 sed omnia ab eo deducta, & motum a non esse ad es-  
 se sortita cernuntur. Iisdem fere verbis hæc refe-  
 runt reliqui, quos nominavimus, Patres. Quod ve-  
 ro ex vetustis Pythagoreorum scriptis hæc desum-  
 ferint, prodit *Dorica dialectus*, Pythagoreis admodum  
 familiaris x). Tanta hæc fulgent veritatis splendore,  
 ut si vim verborum sequamur, optima quæque de Py-  
 thagora liceret sperare. Ast qui nexus dogmatum,  
 quæ Pythagoræ ejusque aëteclis tribui solent, penitus  
 scrutatur, is facile perspiciet acutissimi ingenii Phi-  
 losophum splendente verborum syrmate, res longe  
 deteriores comprehendisse. Quod ut clarius fiat, ha-  
 bitum Systematis Pythagorici, quem prolixe depin-  
 xerunt Eruditi, levi penicillo quam brevissime ad-  
 umbremus. Commune huic cum *Jonicis*, *Eleaticis*  
 & *Heraclito* fuit illud principium Physiologiæ, quod  
 deinceps a Stoicis recoctum, Systematis Stoici sorti-  
 tum est nomen y). Huic ille suos aptabat nume-  
 ros,

---

x) Quod dialecto dorica plerumque usi fuerint Pytha-  
 goras cum suis sequacibus, probat BRÜCKERUS Lib. cit.  
 p. 1025. ex Jamblico, qui Cap. XXXIV. n. 241. prolixe de  
 caussa adhibita hujus dialecti differit.

y) Licet eundem duorum principiorum numerum (caus-  
 æ nimir. efficientis & subjectæ illi materia), admirerunt Phi-  
 losophi tantum non omnes; diversa tamen id factum est ra-

ros, quorum similitudine in rebus explicandis, utebatur z). Hinc omnia quæ sunt, unum totum constituit, quod monada vocavit illamque duplice ornavit principio: *activo* nimirum & *passivo*; quorum illud, perpetuo influxu formaret principium passivum, materiam nempe crassiorem varie mutationi obnoxiam. Activum illud principium specialiori ratione etiam monadis nomine insignivit a), & in hujus

tione. Unde tria præcipue Systemata Physiologica enumerauntur. Dabimus hanc in rem verba BRUCKERI in summam collecta: Quidam duo sibi æternum opposita & essentiæ discrimine adversa principia Deum & materiam admiseret. Quod Systema dualitatum vocatur, & Patronos habuit Anaxagoram, Platonum cum tota Academia Vetere. Alii duo ista principia uni toti incluserunt Deumque ita materiae in uno toto, quod chaos dixerat copularunt, ut hæc perpetua emanatione ex ejus sinu progrederetur, quod Systema Emanativum vocatur. Cumque Zenoni nec dualisticum nec emanativum placuit sistema illud Pythagoreorum recoxit, statuitque Deum sive causam efficientem & rationalem, tam arcte naturæ universi connecti, ut anima corpori ovoque vitellus inclusus est, hancque vim esse plasticam & formatricem materie intrinsecam & necessariam docebant, ut ita necessaria & naturalis pars chaos Deus esset.

z) Legi merentur, quæ de numeris Platonicis Lib. cit. Cap. IV. §. 20. p. 444. n. 21. commentatur MOSHEMIUS.

a) Hanc rem sequenti modo illustrat BRUCKERUS I. c. p. 1078. moment. 3. Habere vero in se istam unitatem, quod unum & totum, Stoici, Veteres chaos dixerat, non tantum auctoritatem, i. e. activum aliquod principium sed & principium passivum, nempe materiam crassiorem, si que ayada gigni quidem

hujus respectu materiam vocavit *Dyadæ*. *Dyas* vero varias modificationes per monadis influxum fortita mundi recepit figuram, quem *Triados* nomine indigitabat. Atque sic Deus Pythagoræ seu principium illud activum animæ erat mundi, quæ omnes in illo exercebat operationes haud aliter ac in corpore anima humana. Sed entia prorsus immaterialia ignorabant omnes antiquorum, quippe qui *ἀσώματος* & spirituale opponebant materiæ tantum crassiori b). Dei ergo naturam explicatur, subtilissimam & non naturalem fecerunt ignem, quem credebant idoneam ad crassiorem materiam permeandam informandamque c).

## D

## §. X.

---

a monade, 'bancque eo sensu esse hermaphroditum & a posteriori parte cognominatum Deum; sed si id NB. quod altius formatur & movens est, a passivo informi & mobili distingvatur; tunc dyadem illam monadi opponi, totamque diversam esse, sicutque monadis notionem designare partem spiritualem, (seneca scil. Pythagoreo & Stoico) dyadis materiam crassiorem delineare. Hinc facile componitur dissensus inter CUDWORTHUM ejusque Commentatorem, quem vide Lib. cit. p. 446. not. Moment. 2.

b) MOSHEIMII note ad CUDWORTHUM Lib. cit. Cap. I. §. 27. p. 36. n. 3.

c) Huc pertinent illa *Cyrilli* & *Justini* verba, quibus Deus ex mente Pythagoreorum vocatur ἡ ψυχὴ Φωσηὶ illuminans lumen in coelo. Quid vero hoc est aliud, quam subtilissimus ignis,

## §. X.

Atque ex his ferri potest sententia de magnificis illis quibus Deum ornarunt Pythagorei attributis. Dei quidem unitatem, omnipotentiam, mundi ab illo originem, providentiam cæteraque evidenter loquuntur, sed sensu a veritate remoto. Unitatem enim Dei ut vi Systematis affererent necesse erat; omnia enim illis sunt unum, illaque unitas duobus constiterit principiis, *activo* seu Deo & *passivo* seu informi materia illi subiecta. Eadem ratione mundi a Deo originem admittebant, non quidem per productionem entis a mera possibilitate ad actualitatis statum, seu creationem ex nihilo; sed per continuam agitationem principii activi, ex qua figuram variasque modificationes sortiretur materia informis. Idem etiam de reliquis, quæ Deo vindicarunt attributis tenendum; de quibus sic jure dici queat, quod verba sint prætereaque nihil.

Cum itaque dogmata, quæ de Ente summo tradidit Pythagoras, sublimes sint propositiones (per præfat. & §. II.) quæ veritatis figuram primo intuitu sustinent, sed per Systematis receptæ nexum, alium induant significatum (per demonst.) sudo clarius patet: Philosophum ejusque sequaces pura jaetasse meteora Philosophica (§. VI.).

## §. XI.

Quæ cum ita sint facile perspicitur; quantum a vero deflexerint, qui fulgentibus Pythagoræ effa-

tis permoti, nescio quæ divinioris sapientiæ vestigia in illis se invenire putarunt. Inter quos præprimis memorandi Antistites Ecclesiæ primorum Se-culorum, quorum præposterum & nullis limitibus circumscriptum, in gentilium Philosophorum placi-ta studium communem eruditorum sequioris ætatis excitavit quærelam <sup>d)</sup>). Bono in religionem hoc fecerunt animo antiqui Patres; sicut enim magna erat apud ejus ævi homines, fama Philosophorum, sic nulla aptior ad persuadendum via, quam si ho-rum effatis Christianæ religionis dogmata potuerint probari. Mirum quidem est hos, qui systematum philosophicorum eo tempore habuerunt copiam, adeoque verum eorum sensum facillime potuissent investigare, in hæc devia & præcipitia fuisse prola-psos, ast quid est quod piæ fraudis apud illos non inusitatæ, prætextu nequeat excusari. Maxime au-tem his se passus est seduci Justinus Martyr, qui u-nitatem Dei probaturus, in robur demonstrationis, ad illa provocat Pythagoræ verba, quæ §. præced. ex Cyrillo desumpta exstant: Sic enim ratiocinatur: ἐδὲ καὶ συφεσέγαρ απόδεξιν πολὺ ἐνὶς θεὸς τῆς πονηρότερα δίξης ποθεῖται γιώται, ἀκριβετε τὴς αὐτὸς δόξης· ἔτω γαρ ἡ φη, οὐ μὲν θεὸς ἐις αὐτὸς δὲ δὲ ως πνεῦς, ὑπονοούσου, εἰπεὶ τὰς διακοσμήσιος, ἀλλ' ἐν ἑατῷ ὅλος ἡ θλω τῷ κύκλῳ, ἐπικο-

---

<sup>a)</sup> Apposite ad hanc rem Cel. BRUCKERUS Lib. cit. Tom. III. p. 355. Ita vero cum meteora orationis sequentur, non posuerunt non frequentes in ratiocinando labi, cum nihil magis ratiocinationem severam impeditat quam verba surgentia. <sup>b)</sup> nubes petentia.

πῶν πάσις τὰς γενίσιας ἐστιν, καὶ δοὺς ἐστιν τῶν ὄλων, αἰώνων,  
καὶ εργάτης τῶν αὐτῶν δυνάμιων καὶ ἔργων. αἱχά πάντων, ἐν  
ἐν δύναμι Φωτίῳ, καὶ πάντων πατέρες, νέος καὶ φύχωσις τῶν  
ὄλων, κύκλων ἀπάντων κινήσις· ὅτο μετ' οὐδὲν ὁ πυθαγόρεας εῖ).

Quam siculne autem argumento sua supererit  
ratiocinia, vir ceteroquin pietatis & eruditionis  
laude insignis, satis ostendunt quæ §. IX. de inti-  
miori dogmatum Pythagoricorum habitu observa-  
vimus.

### §. XII.

Hæc circa Pythagoreorum, de attributis Entis  
Summi, opinione, observatione digna. Addimus  
his ipsam Dei definitionem a Pythagora suppedita-  
tam, quam post Ciceronem f) Laelius omnes-  
que fere alii his exhibent verbis: *Deus anima est,*  
*per universas mundi partes diffusa, ex qua animi no-*  
*stri carperentur.* Quæ verba paulo clarius absurditi-  
tatem produnt suam, adeo ut ne Meteora quidem  
philosophica illa dices. Jure itaque mireris, ex-  
titisse inter eruditos, qui nimio in Pythagoram stu-  
dio abrepti, vel mentis potius involuti tenebris,  
ex his etiam, lucem Divinis dogmatibus nisi sunt  
fænerari. Exemplo inter alia erit Salviani, Massi-  
liensis Presbyteri, pius quidem & sincerus, ast v-

nus

e) Orat. ad gentes p. 18. Ed. Paris. Eadem fere ratio-  
ne unitatem Dei adstruit Clemens Alexandrinus Paten. ad  
gentes p. 417. quæ libris Stromatum adjuncta deprehenditur.

f) De natura Deorum Lib. I. Cap. XII.

nus simul & fere ridiculus conatus *g*), qui ex hac definitione Dei, Providentiam ejus optime demonstrari posse putavit. Dabimus ex BUDDEO *h*) verba ejus, cum rarissimus sit ipse liber. Ita vero ratiocinatur: *Probumus igitur, ne illos quidem de incuriositate ac negligencia ista sensisse, qui vera religionis expertes, nequaquam utique Deum nosse potuerunt, quia legem per quam Deus agnoscitur nescierunt.* Pythagoras Philosophus, quem quasi Magistrum suum philosophia ipsa suscepit, de natura ac beneficiis Dei differens, sic locutus est: *Animus per omnes mundi partes commeans atque diffusus, ex quo omnia, quæ nascuntur animalia vitam capiunt.* *Quomodo itaque mundum negligere Deus dicitur, quem hoc ipso scilicet satis diligit, quod ipsum se per totum mundi corpus intendit?* Quod viri ratiocinium, an plus contineat pietatis an absurditatis haud facile quis dixerit *i*).

Ex his patet quam perniciosos, Meteora Philosophiae Pythagoricae in Ecclesiam Christianam, habuerunt effectus. Sunt etjam plurimi qui ex ejus fontibus

*g*) De gubernat. Dei Lib. I. pag. m. 3. 4.

*b*) THES. De Atheismo & superstitione Cap. VII. p. 547.

*i*) Egregie hanc in rem Cel. BUDDEUS, L. c. p. 548. *Incaute, admodum & Pythagora & Stoisorum ista effata hue trahit* (Salvianus) *quippe qua Deum mundi esse Animam supponunt, adeoque Atheismo certo modo patrocinantur; unde & providentiam eo sensu comprobant, quo & alibi eam hanc difficulter admiserint.*

tibus manarunt, alii errores *k)*, qui tamen partim ad Revelatam pertinent Theologiam, partim talibus superstructi sunt Pythagoreorum principiis quæ apertam involvunt falsitatem, atque ad nostrum non pertinent institutum. Nostrum ergo non est per hæc dumeta repere hasque colligere spinas.

## §. XIII.

*k)* Exempli loco nominamus Gnosticorum errores, nec non Carpocratis, Epiphanis, Prodicī, aliorumque nefanda scelerā, quæ impio Pythagoræ dogmati de Metempsycosi, seu animarum in alia corpora, sive hominum sive brutorum, post dissolutionem, migratione (WALLERII Psycol. Rat. C. III. §. 97. p. 177.) suos debent natales. Qua de re luculentum existat Theodoreti testimonium Epit. Divin. Decret. tit. de Judic. Pythagoras animarum in corpora transitus fabulatus est, dicens eas non solum in corpora brutorum, sed etiam in arbores transfire. = = Hinc Manes, & quæ eum praecepsit, impiorum Gnosticorum barefis, accepta occasione, dixerunt hoc esse supplicium. Scelerati autem Carpocrates & Epiphanes & Prodigus, & Cajoni, suillare plane vitam constituentes, dicebant, animas in corpora transmitti, ut per libidinem & omnem intemperanciam uniusquamque Angelorum mundi conditorem colerent.

